

*Respondent* recentiores quidam, qui formam in oratione Episcopi ponere malunt: Concilium tantum definire voluisse contra hæreticos, quod in ordinatione detur Spiritus sanctus; non autem quod detur per hæc determinate verba: *accipe Spiritum sanctum*, proinde nihil dici contra auctoritatem Concilii, sive dicatur Spiritus sanctus per hæc verba, sive per alia conferri. Sed etiam hic effugium quæritur; nam

*Contra est*, quod Concilium aperte hic duo dicat et distinguat: per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, et Episcopos non frustra dicere: *accipe Spiritum sanctum*: ex quo infero; ergo hæc verba sunt practica, hoc est efficiunt id, quod significant, ac proinde sunt forma.

*Prob.* Quia hæc verba sumpta in sensu proprio et communi, in quo sumi debent, ne alioquin plurimæ et gravissimæ aliæ Constitutiones dogmaticæ eludi similiter possint, significant idem ac: *do tibi Spiritum sanctum: quorum*, etc. Et certe non alium, quam hunc ipsum sensum habebant verba Christi, quando insufflans dicebat ad Apostolos Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis*. Cur igitur in alio sensu proferantur ab Episcopo, præsertim cum Ecclesia hæc verba usurpet ad imitationem Christi?

*Conf.* Inde, quia Christus dixit Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. omnes inferunt in collatione Baptismi esse hac forma absolute utendum: *ego te baptizo in nomine Patris*, etc. licet Christus speciale mandatum aliud non dederit hac forma utendi; ergo idem est de his dicendum, *accipe Spiritum sanctum*.

Dixi in concl. *Impositio manus secunda, sive ultima*: Advertendum enim est hic ab aliis triplicem manus impositionem distingui: prima quæ fit silentio ab Episcopo et presbyteris. Secunda, quando juxta *Not. I.* iidem dexteris extensas tenent super ordinandum. Tertia et ultima, quam nos secundam dicimus, quæ fit a solo Episcopo cum verbis: *accipe Spiritum sanctum*. Sed *prima* probabilissime non est de essentia, ut tenet communissima contra Lugonem et quosdam recentiores, eo quod non fiat a solo Episcopo, sed etiam a presbyteris præsentibus, quos tamen constat non esse ministros hujus ordinis: deinde nulla illi respondet verborum forma; fit enim omnibus silentibus; solumque videtur instituta in signum consensus Ecclesiæ circa ordinationem ejus, super quem manus imponunt.

*Nec obstat*, quod 1. Tim. 4. dicatur: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii*. Nec, quod Tridentinum habeat, ministros Extremæ Unctionis esse Episcopos aut sacerdotes ab ipsis recte ordinos per impositionem manuum presbyterii; nam τὸ presbyterii non potest hic significare presbyteros simplices; Apostolus enim et Trident. loquuntur de impositione manuum, quæ est de ordinationis sacerdotalis essentia, ut patet, et clare innuit Trid. dum ait ministros Extremæ Unctionis esse vel presbyteros, non quales hoc nomine infer hæreticos veniunt seniores, aut primores, sed *recte ordinos*; et de sacerdotalis ordinationis essentia nequaquam est, ut simul presbyteri cum Episcopo imponant manus, cum certum sit illos hujus ordinationis ministros non esse, et recte quis ordinetur sacerdos, licet presbyterorum nemo manus imponat; ergo per τὸ presbyterii non intelligitur illa impositio manuum, quæ fit simul a presbyteris; ac proinde male infertur: prima manuum impositio est de essentia ordinationis pres-

byteri, quia fit per impositionem manuum presbyterii. Igitur vox *presbyterii* Episcopos significat, ut sensus sit: recte ordinari per impositionem manuum episcopaliū, sive eorum, qui in presbyterio potestatem habent conferendi sacerdotium, quam soli habent Episcopi.

*Conf.* Et hic sensus non obscure ex ipso Apostolo colligitur; cum enim 1. Tim. 4. dixisset: *cum impositione manuum presbyterii*, postea 2. ad eundem scribit: *per impositionem manuum mearum*. Quin 1. ad Tim. 5. eum monet: *manus (tuas) cito nemini imposueris*, scilicet ordinando sacerdotem, ubi nulla de presbyterio mentio.

Deinde *altera* illa manus impositio, qua Episcopus manum dexteram extendit supra omnes ordinandos simul, multo minus videtur esse de essentia, 1<sup>o</sup>. quia materia presbyteratus proxima debet omnibus ordinandis, non simul, sed singillatim applicari. 2<sup>o</sup>. Quia illa manus extensio non est vera et proprie dicta impositio, qualem Patres et Carthag. IV. can. 2. 3. 5. requirunt, hoc est, per quam caput ordinandi tangitur; unde et GREG. IX. c. fin. de Sacram. non iter., illam Episcopalis manus extensionem, non impositionem, sed suspensionem vocat, et utramque, suspensionem ac impositionem caute distinguit: *Presbyter et diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab Apostolis introducto, recipiunt... Suspensio autem debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi*.

110. *Dico III.* Duæ etiam sunt apud Latinos partiales materiæ et formæ in ordinatione diaconorum. *Prima* est impositio manus Episcopi cum hac forma: *Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Patris*, etc. *Secunda*, traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei pro vivis et defunctis*.

*Pars 1<sup>a</sup>.* constat ex dictis art. 5. ubi in diaconorum ordinatione fit mentio hujus impositionis. Ex Carthag. IV. c. 4. ubi: *solus Episcopus, qui Diaconum benedicit, manus super caput illius ponat*. Ex SS. Patribus, præsertim DIONYSIO loc. supra cit. Ex Trident. juxta quod Episcopus imponendo manum, utitur forma: *accipe Spiritum sanctum*, qua producit gratiam, ut jam ostendimus.

*Pars 2<sup>a</sup>.* docetur a Concil. Florentino in Decreto pro Armenis.

111. *Dico IV.* Materia ordinationis subdiaconorum et forma est similiter duplex partialis: 1<sup>o</sup>. Traditio calicis vacui cum patena vacua, cui respondens forma est: *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*. 2<sup>o</sup>. Traditio libri Epistolarum, cum hac forma: *Accipite librum Epistolarum et habete potestatem legendi eas in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis*.

*Pars prior* habetur in Concil. Florent. et Carthag. IV. c. 5. Utraque autem simul in Pontificali Rom. quod candidatum subdiaconatus, antequam illi facta fuerit libri Epistolarum traditio, ordinandum vocat, non ordinatum.

*Nec refert*, quod potestas assistendi in celebratione Eucharistiæ ministrando diacono calicem cum patena, sit magis principaliter et sanctior, quam potestas legendi Epistolam; nam hæc nihilominus etiam sancta est, ut gratia necessaria sit ad eam rite exercendam.

*Si dicas* : cap. *Pastoralis*. de Sacram. non iterand. quæritur, debeatne permitti ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem subdiaconatus assumptus? et dicitur non esse aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute prætermisum. Item Carthag. IV. cit. traditioni patenæ et calicis vacui adjungit traditionem urceoli cum aqua et mantili; ergo et hæc sunt de essentia.

R. N. Cons. Nam quoad primum : quod in cap. cit. legatur *subdiaconatus*, mendum est, et legendum *diaconatus*, ut notant interpretes, et merito correxit Anton. Augustinus, cum ex Carthag. IV. et Pontificali, ac praxi Ecclesiæ constet subdiacono manus non imponi. Quod autem Carthag. IV. adjungat urceolum cum aqua et mantili, non ideo etiam hæc ad materiam pertinent, ut vel inde constat, quod non ab Episcopo sed Archidiacono tradantur, materia autem in sacramentis debeat ab ipso ministro applicari.

112. *Dico V.* Materia et forma ordinum minorum est sequens : *Acolythatus* est 1º. traditio urceoli vacui cum forma : *Accipe urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.* 2º. Candelabri cum cereo extincto; forma est : *Accipe ceroserarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesie luminaria mancipari, in nomine Domini.* Utriusque enim materiæ meminit Carthag. IV. c. 6. et Pontificale Rom. Et licet juxta S. THOMAM q. 37. a. 5. ad 6. ministrare in urceolo sit actus acolythi principalior, et in illius traditione character imprimatur; non tamen id obstat, quo minus traditio altera, licet minus principalis, sit

materia essentialis, et character ad eam extendatur; vel, si mavis, utriusque character partialis respondeat.

*Exorcistatus* materia est traditio libri Exorcismorum; forma : *Accipe et commenda memorie, et habe potestatem manus imponendi super energumens, sive baptizatos, sive catechumenos.* Sumitur ex Carthag. IV. c. 7. et Pontif. Rom. quod etiam libri Exorcismorum vice innuit trad. posse Pontificale, vel Missale, quoniam in eo quoque Exorcismi aliqui continentur.

*Lectoratus* materia est liber Lectionum; forma : *Accipe, et esto verbi Dei zelator, habiturus, si fideliter et utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio ministrarunt.* Carthag. IV. c. 4. et Pontificale Rom. Concilium vero per librum illum intelligit libros veteris et novi Testamenti, præsertim vero eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solebant. Cumque in Pontificali habeatur : *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat, et S. ISIDOR. relatus cap. Perlectis. Dist. 28. dicat ad Lectorem pertinere prædicare populo Prophetarum vaticinia, per prædicare non innuitur verum munus prædicandi, sed quod ea, quæ legit, alta et intelligibili ab omnibus voce proferre debeat.*

*Ostiaratus* materia est clavium traditio; forma : *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Concil. et Pontif. cit. Officium enim ostiarii erat aperire et claudere portas Ecclesiæ, ab hac indignos repellere, inter quos numerabantur publice pœnitentes in primo Ecclesiæ gradu.

Requiruntur autem in collatione ordinum instrumentorum, ipse traduntur, contactus physicus, saltem mediatus; quia sententiæ negantes talia

requiri, sunt solum probabiles; ergo eas sequi non licet, ne exponatur nullitatis periculo sacramentum, et generaliter loquendo, omnis illa sententia in hac materia est practice improbabilis, quæ a valore ordinis excludit aliquid, quod alia sententiaprobabilis requirit.

113. *Obj. I. specialiter cont. concl. 1<sup>am</sup>. ejusque partes.*

1º. Cum imponitur liber Evangelii, nihil pronunciat a consecrante; ergo hic ritus materia essentialis esse nequit. *Prob. Cons.* quia huic debet esse conjuncta forma, quæ tantum in verbis consistit.

2º. CLEMENS ROMANUS, sive quicumque sic auctor Constitut. Apostolic. cit. in concl. ait a *diaconis divina Evangelia teneri*; ubi autem id fiebat ab Episcopis, quandoque id ad solos Episcopos assistentes pertinebat, non ad consecratorem, qui postea solus præscripta verba proferebat, ut videre est apud MARTENIUM pag. 418. et seq. atqui in sacramentis materia a ministro, et eodem, a quo profertur forma, adhiberi debet; hinc enim Synodus Hispanensis II. can. 5. (Labh. t. 5. p. 1665. B.) cum manum quibusdam imposuisset Episcopus, presbyter vero præscripta verba recitasset, irritam esse ordinationem pronuciavit.

3º. Ritus ille non vigeat prioribus Ecclesiæ seculis; ergo. *Prob. Ant.* Alcuinus enim L. de div. Offic. tit. *Qualiter Episcopus ordinetur in Eccles. Rom.* (opp. part. 4<sup>a</sup>. p. 492. 493.) circa annum 760., et post illum Amalarius L. 2. de offic. Eccles. c. 14. ait hunc ritum neque veteri auctoritate

intimari, neque canonica : Morinus *ver. Exerc. 2. c. 1. quæst. 7. in Episcoporum ordinationes refert in Ecclesiis Alexandrina, Germanica, Gallicana sine eo ritu peractas*; item *Isidorus Hispalensis, licet L. 2. c. 5. varios ritus adhiberi solitos in Episcoporum ordinationibus explicet, hunc silentio prætermittit.*

4º. Ritus ille in diversis Ecclesiis non peragitur eodem modo; alii enim apertum, alii clausum imponunt; ergo non videtur esse de materia, quia hæc debet esse eadem.

Ad 1<sup>am</sup>. R. C. Ant. N. Cons. *Prob. D.* Debet esse semper physice conjuncta forma N. saltem moraliter C. Episcopus primo imponit librum, quem, ne decedat, tenent assistentes; deinde fit impositio manuum, et consecrator pronunciat formam : *Accipe Spiritum sanctum*, quæ est conjunctio moralis et hic sufficiens. Sic in sacramento Pœnitentiæ absolutio sive forma conjungitur solum moraliter cum materia sive actibus pœnitentis.

Ad 2<sup>am</sup>. R. D. M. Ait a *diaconis divina Evangelia teneri*, et etiam ab iisdem imponi N. solum teneri; postquam consecrator imposuit C. Diaconus non imponit librum, sed a consecratore impositum, solum sustentat, ne decedat, juxta rubricam Pontificalem Rom.; ergo vere minister applicat, non alius. Eadem est responsio ad Episcopos assistentes. Unde sic concessa *min. D. Cons.* ut supra.

Ad 3<sup>am</sup>. R. N. Ant. Contrarium enim constat ex loc. in conclusione cit. proinde sine fundamento ita referunt Alcuinus et Amalarius. Sed et Morinus ipse Exercit. 2. cap. 1. ait auctoribus illis contradicere libros Rituales, quorum unus annis circiter centum Alcuino est antiquior; et Menardus in *Notis ad Sacramentarium S. Gregorii* postquam Amalarii textum recitasset pag. 304. subdit: *sed ista omnia ex citatis locis satis refutantur.* Morinus vero impo-

sitionem libri Evangeliorum in Ecclesiis Alexandrina, Germanica, Gallicana, omissam fuisse ita nude asserit, non probat; de Alexandrina id se demonstraturum equidem promittit, sed non præstat. S. ISIDORUS impositionem libri specialiter non explicat, quia cum impositione manuum, quam exponit, est quasi una ceremonia, et impositio utraque habet eandem formam et finem, licet hunc expressius significet libri impositio, quam manuum.

*Ad 4<sup>um</sup>. R. N. Cons.* Varietas enim illa plane accidentaria est; sive enim apertus sit, sive clausus, idem codex est. Rituales græci plerique diserte docent apertum imponi; similiter hodie Pontificale Rom. Olim tamen videtur fuisse quædam in Ecclesia latina varietas, quia duo antiqui Constantini scilicet Caetani, et Ordo Romanus editus docent clausum adhiberi, jam pridem vero et initio apertum CLEMENS Romanus.

114. *Obj. II. contra impositionem manuum in SS. Ordinationibus.*

1<sup>o</sup>. Concilium Florent. in Decreto de sacramentis pro Armenis materiam ordinationis presbyteri docet esse porrectionem instrumentorum, nulla facta mentione de impositione manuum; ergo hæc juxta Florent. non videtur esse de essentia; cur enim alias de illa taceret?

2<sup>o</sup>. Ordinandus presbyter per traditionem instrumentorum et huic respondentem formam jam factus est, et dicitur sacerdos; unde simul cum Episcopo consecrat; et proinde jam accepit characterem.

3<sup>o</sup>. Innocentius III. cap. *Pastoralis*. de Sacrament. non iterandis, de ordinato in diaconum sine impositione manuum ait, nihil esse iterandum, sed supplendum quod incaute erat prætermissum; idemque de presbytero taliter ordinato pronunciat cap. *Presbyter*. fin. h. t. Gregor. IX.; ergo juxta utrumque Pontificem impositio manus essentialis non est. *Prob. Cons.* Si enim essentialis esset, sine ea ordinatio fuisset nulla, ergo iteranda.

4<sup>o</sup>. Idem Pontifex Innocentius III. cap. cit. impositionem manus vocat *ritum ab Apostolis introductum*; ergo non est institutionis divinæ, nec essentialis.

*Ad 1<sup>um</sup>. R. D. Ant.* Nulla facta *explicite* mentione de impositione manuum *C.* nulla facta *implicite* *N.* Concilium enim vel Eugenius nomine Concilii Decretum suum remittit ad Pontificale Romanum; in hoc autem impositio manuum tanquam indubitata materia præscribitur, ergo meminit implicite impositionis manuum. Quod vero ejus mentionem explicite non fecerit, ratio esse potest, quia Concilium Armenos instruebat, qui de impositione manuum nihil dubitabant. Igitur solum traditionis instrumentorum meminit, eo quod illa Armenis in usu non esset.

*Ad 2<sup>um</sup>. R. D.* Factus est, et dicitur sacerdos, quia hæc denominatio petitur principaliter a potestate offerendi sacrificium, quam tunc jam habet *C.* quasi jam factus esset sacerdos complete *N.* Sacerdotium novæ Legis duplicem potestatem importat; offerendi sacrificium, sive potestatem in corpus Christi verum, eaque principalis est, a qua maxime est, et dicitur sacerdos; deinde absolvendi, sive potestatem in corpus Christi mysticum, quæ minus principalis est, ordinatum potius in ratione judicis, quam sacerdotis constituens, et a priore dependet essentialiter sic, ut illam ante se præsupponat necessario et sine ea conferri non possit: utraque tamen ad sacerdotium novæ Legis completum requiritur; utraque diversa est, quia una non signi-

ficatur per materiam et formam alterius; ac proinde suus utrique partialis character respondet.

115. *Si ais*: Apostoli constituti sunt sacerdotes complete die Cœnæ, licet tunc solum a Christo acceperint potestatem sacrificandi; ergo idem dici potest etiam nunc de sacerdotibus, quando ipsis traduntur instrumenta cum verbis: *accipe potestatem offerendi*, etc. quibus confertur potestas in corpus Christi verum. *Prob. Ant.* 1<sup>o</sup>. Judas Episcopus fuit ante mortem Christi, ut indicat illud Ps. 108. *Episcopatum ejus accipiat alter*; quod vaticinium de Juda dictum fuisse constat, ex Act. 1. v. 16. atqui episcopatus completum sacerdotium supponit. 2<sup>o</sup>. S. Thomas fuit complete sacerdos, et tamen non erat præsens, quando Christus insufflans ad Apostolos dixit: *Accipe Spiritum sanctum: quorum remisistis*, etc.

*R. N. Ant. Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. D. Maj.* Fuit Episcopus solum designatione *C.* vere et perfecte *N.*

*Ad 2<sup>am</sup>. prob. R. D.* Fuit complete sacerdos vi consecrationis solitus in die Cœnæ factæ *N.* vi alterius particularis ordinationis, quam Christus per potestatem excellentiæ supplevit et contulit Thomæ licet absenti *C.* Nam, ut ait S. CYRILLUS Alexandrinus L. 12. in cap. 20. Joan. (opp. t. 4. p. 1101. A. edit. Paris.) intentio Christi dantis potestatem absolvendi fuit, eam communicare toti collegio Apostolorum, quæ intentio non ad præsentem solum, sed et absentes dirigebatur; unde infert CYRILLUS: *non ergo, licet absuerit Thomas, a participatione Spiritus decidit, cum de numero esset eorum, quibus dignitate Apostolatus decoratis Spiritus debebatur.* Nec tamen inde inferas: ergo absentes ordinari possunt; nam istud poterat Christus potestate excellentiæ sibi propria; aliter vero statuit pro Ecclesia, uti ex ejusdem sensu et praxi docemur.

*Ad 3<sup>am</sup>. R. N. Cons. et prob.* Nam, ut ait Bellarminus, mens Innocentii III. et Gregorii IX. fuit, non esse repetendum id, quod rite peractum est, sed supplendum alterum, quod omissum est; licet enim istæ duæ partiales ordinationes, quarum prima datur ordinando potestas in corpus Christi verum, sive illud offerendi in sacrificium, altera in corpus Christi mysticum, sive fideles absolvendi, unam totalem constituent, qua ordinandus fit sacerdos complete habens potestatem utramque et consecrandi et absolvendi, ideoque convenienter simul conferantur; absolute tamen loquendo potest valide conferri potestas consecrandi seorsim a potestate absolvendi.

*Ad 4<sup>am</sup>. R. D. Ant.* Vocat ritum ab Apostolis introductum, auctoritate propria et independentem ab omni voluntate Christi *N.* auctoritate a Christo accepta *C.* Palebit responsio amplius ex objectione sequenti.

116. *Obj. III. contra traditionem instrumentorum.* Traditio instrumentorum non adhibetur in Ecclesia græca; in latina vero non fuit adhibita prioribus seculis; nam imprimis Apostoli solam leguntur adhibuisse impositionem manuum; Carthag. IV. vero can. 2. 3. 4. pro materia episcopatus, presbyteratus, diaconatus solam assignat impositionem manus vel manuum; et can. 5. dicit subdiaconum, quia manuum impositionem non accipit, ordinari per instrumentorum traditionem; ubi manifeste indicat episcopum, presbyterum, diaconum, quia manus impositionem accipiunt,

per traditionem instrumentorum non fuisse ordinaros; ergo instrumentorum traditio non potest esse de essentia. *Prob. Cons.* quia materia essentialis sacramenti ordinis debet esse eadem pro omni loco et tempore; alioquin enim non esset idem sacramentum, quod repugnat unitati Ecclesiae, in qua necessario est unitas sacramentorum.

*R. C. Ant. ob probationes. D. Cons.* Debet esse eadem formaliter, hoc est, in ratione signi legitimi collatae potestatis sacrae, sub qua formalitate tantum ex institutione Christi est de essentia hujus sacramenti *C.* eadem materialiter et quoad entitatem physicam *N.* pro quo

417. *Observe*: Christum in sacramentorum institutione determinasse quidem materiam et formam secundum rationem genericam signi sensibilis, non tamen semper et in omnibus secundum rationem specificam talis signi, saltem ultimam; sicque pro hoc sacramento nec determinate pro materia instituit impositionem manuum, nec determinate traditionem instrumentorum; nec hanc, aut illam praecise formam, sed tantum generatim requisivit signum sensibile, quo significaretur collata potestas consecrandi et absolvendi, relicta Ecclesiae tanquam habenti alias auctoritatem circa res sacras facultate determinandi in particulari signum ejusmodi. Apostoli vero elegerunt impositionem manuum cum certa aliqua forma tanquam signum utriusque potestatis collatae: Ecclesia graeca retinuit solam impositionem manuum, cum forma: *Divina gratia, quae semper infirma curat, etc.* Ecclesia latina etiam retinuit impositionem manuum pro signo collatae potestatis ad absolvendum et formam congruentem: *accipe Spiritum sanctum*; pro signo autem potestatis ad consecrandum assumpsit traditionem instrumentorum ut signum magis expressivum hujus potestatis cum forma: *accipe potestatem offerendi sacrificium, etc.* Supposita autem dicta electione utriusque Ecclesiae coepit in Ecclesia latina traditio instrumentorum esse materia necessaria necessitate sacramenti, non in graeca. Hinc patet non esse substantialiter diversum sacramentum ordinis inter Latinos nunc et olim, nec inter Latinos et Graecos non obstante illa diversitate signi entitativa vel rei, quae est diversitas solum materialis; cum qua est, et manet eadem significatio et efficientia sacramentalis, proinde idem substantialiter sacramentum in utraque Ecclesia; cum utraque conferat sacramentum ordinis per signum aliquod expressivum potestatis, sub qua sola ratione *alicujus signi* Christus hoc sacramentum conferri voluit.

Illustrant hoc alii exemplo sacramenti matrimonii: Ad hoc valide celebrandum usque ad tempora Tridentini sufficiens erat contractus clandestinus, an sub ratione materiae an formae? perinde est: hodie vero non est in illis locis, in quibus viget decretum Tridentini de reformatione matrimonii, et tamen adhuc est substantialiter idem sacramentum; unde sicut mala esset illatio: contractus clandestinus olim fuit sufficiens; vel: adhuc est in iis locis, in quibus non viget decretum Tridentini; ergo et nunc pro omni loco debet esse sufficiens, alioquin non esset idem sacramentum; ita hic de ordine.

418. *Inst. 1.* Gratis dicitur, quod Christus reliquerit Ecclesiae potestatem determinandi materias et formas sacramentorum; ergo.

*R. D. Ant.* Sacramentorum, in quibus ipse materias et formas specificè et determinate instituit *C.* in quibus solum genericè aut sub ratione alicujus signi indeterminate, ut in sacramento ordinis *N.* Nullum enim in specie assignari potest, quod Christus pro ordine determinasset. Hinc potestas illa Ecclesiae colligitur 1°. ex hoc ipso, quod Christus solum sub ratione generica signi expressivi sacrae potestatis collatae instituerit sacramentum ordinis; ergo Ecclesia debuit posse determinare in specie, ut non esset confusio, sed uniformitas rituum. 2°. Ex Concilio Florentino, quod traditionem instrumentorum vocat simpliciter materiam sacramenti ordinis. 3°. Ex praxi, et mente Ecclesiae, juxta quam ea traditio videtur manifeste adhiberi ad conferendam potestatem, vel causandos effectus sacramentales, ut ex Pontif. Rom. tum verbis correspondentibus evincitur. 4°. Ex formis; has enim in specie, prout adhibentur in ordinationibus, determinavit Ecclesia, ut testatur Innocentius III. ad cap. *Presbyter* citat. a Cardinali de Lugo, Sylvio, et aliis: *Nisi esset forma postea inventa, sufficeret ordinatori dicere, sis ordinatus, vel alia aequivalentia verba, addita aliqua materia, sed subsequentibus temporibus formas, quae servantur, Ecclesia ordinavit*; ergo idem dici potest et debet de materia in specie, quia Christus aequè parum unam, quam alteram determinavit in specie.

419. *Inst. 2.* Impositionem manuum Christus ipse instituit; ergo.

*R. D. Ant.* Instituit eam genericè, quatenus in genere materiam ordinis voluit esse ritum aliquem significativum potestatis collatae, quem in specie Ecclesia determinatura esset *C.* specificè, sub ratione impositionis manuum *N.* Hoc enim sine fundamento diceretur; quin GREGOR. IX. cap. *Presbyter*, impositionem manuum addit esse ritum ab Apostolis introductum.

420. *Inst. 3.* Saltem Christus ordinans Apostolos sacerdotes usus est materia determinata et similiter determinata forma; ergo non reliquit determinationi Ecclesiae.

*R. T. Ant.* Quomodo enim Christus Apostolos ordinavit sacerdotes, incertum est; probabilius est, quod potestatem consecrandi contulerit his solis verbis: *hoc facite in meam commemorationem*; quod poterat Christus ex potestate excellentiae. Plura enim non referunt Evangelistae, qui tamen gesta in ultima Coena diligenter notarunt, praesertim S. Joannes. *N. Cons.* Non enim omnia, quibus determinate usus est Christus, sunt de essentia sacramenti; sic in consecratione panis usus est determinate vel azymo, vel fermentato, et tamen neuter determinate est de essentia: Apostolis in ultima Coena tradidit panem et vinum jam consecratum, potestatem absolvendi in eos insufflando Joan. 20. nihil tamen horum est de essentia; quin loco insufflationis Ecclesia impositionem manuum adhibet.

421. *Inst. 4.* Si Ecclesia accepisset potestatem determinandi materiam et formam in specie; ergo accepisset potestatem instituendi sacramenta: sed consequens est falsum; haec enim potestas soli Christo fuit propria, qui sacramentorum auctor est; unde et sacramentum definitur: signum sensibile, et practicum gratiae, a Christo permanentè institutum.

*R. N. Seq. 1°.* Quia Ecclesia determinavit materiam et formam sacramenti ordinis solum in specie, et quidem potestate a Christo accepta.